



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 72. Sabellati propositiones censuris perstrictæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

rum ob Arnobii editionem ab ipso con- Sæcul. XVI.  
cinnatam vehementer redarguitur (\*). A.C. 1554.

## §. LXXII.

*Sabellati propositiones censuris  
perstrictræ.*

Hoc item anno Parisiensis Facultas *Argentre*  
Theologica plures propositiones, *Collect. jud.*  
quas sanæ doctrinæ parum consonas *de novis er-*  
ensebat, censuris notabat, earumque *ror. tom. 2.*  
primam tulit die decima tertia Januarii,  
cui ansam præbuit apologia, quam Joan-  
*p. 222.*  
nes

(\*) De aliis *Scriptoribus* sermonem se fa-  
storum spopondit Continuator in Paragraphi  
titulo, sed nonnisi unicum recenset, forte ex  
Thuano, quem allegat, describere oblitus vi-  
tam Angeli Caninii, hinc de ejus fato hæc ad-  
dere lubet. *Circa eadem tempora*, & fatis  
concessit Angelus Caninius Anglarensis, vir lin-  
guarum non solum Græcæ, & Hebraicæ, sed  
Syriacæ, & aliarum orientalium rara, & ex-  
quisita cognitione insignis, iis perdocendis diu  
in Italia, Venetiis, Patavii, Bononiæ, Romæ,  
atque in Hispania moratus: denum Andreæ  
Duditii Pannonii, cuius illustre nomen in lite-  
ris, & ob legationes, quas obiit, postea fuit  
adolescentiæ admotus Iutetiae Parisiorum do-  
cuit, ac postremo in familiam Guilielmi Pra-  
tensis Episcopi Claramontanæ venit, & in Ar-  
vernis finem studiis, & vitæ fecit.

H 4

**Sæcul. XVI.** nes Sabellatus Carnutensis Canonicus  
**A.C. 1554.** eo fine concinnaverat, ut Capituli sui  
accusationes dilueret. Ex ea sex erue-  
bantur propositiones, quarum prima e-  
rat: „Peripateticorum Secta omnium  
„est maxime perversa, & perniciosa, eo-  
„quod ex illa celeberrimi prodierint  
„hæretici, qui exinde Christi legem im-  
„pugnandi anfam arripuerunt. „Prima  
pars hujus propositionis, inquit Facultas,  
est falsa, & temeraria: Secunda est ca-  
ptiosa, & temeraria. Tertia captiosa, &  
subdole exercitationem scholasticam repro-  
bans, est scandalosa & perniciosa.

„II. D. Paulus ostendere, ac proba-  
„re nititur, quod linguarum donum,  
„quod non nisi in recta pronuntiatione  
„consistit, nullius sit usus, nisi verborum,  
„ac nominum, quæ pronuntiantur, vis  
„observetur, atque intelligatur. „Hæc  
propositio, ait Facultas, est falsa, beato  
Paulo imponens, atque simplices, qui ut plu-  
rimum verborum a se prolatorum virtutem,  
& energiam non observant, neque intelli-  
gunt, ab oratione vocali, cæterosque a pro-  
nuntiatione in Ecclesiis consueta perperam  
retrahens; ideo impia, & erronea, viam  
præbens errori eorum, qui Officium Eccle-  
siasticum in idiomate vulgari celebrandum  
esse voluerunt, ut ab omnibus intelligi posset,  
ut Calviniani.

III.

III. „Ad oculum patet, quod hic u- **Sæcul. XVI.**  
„sus, si in Ecclesia invalefacat, recta sit **A.C. 1554.**  
„legi divinæ oppositus: „ *Hæc propositio est temeraria, schismatica, Spiritui Sancto, & Ecclesiæ injuriosa.*

IV. Sacrilegium est dicere *Paracletus*, vel aliter dicere, aut pronuntiare, quam *Paracletus*: *hæc propositio est præcedenti conspirans, falso Ecclesiæ, & orthodoxis Patribus imponens, impia, & blasphemæ.*

V. „Non magis ad Episcopum, „Prælatum, vel Capitulum, quam ad „privatum Canonicum spectat, innova- „re, in quantum ejusmodi innovatio „tendit ad cujusdam legis, statuti, aut „confuetudinis receptæ immutationem, „nisi prius cum toto Clero consultatio „desuper fuerit habita. „ *Hæc propositio satis obscura, & in qua Author suo proposito contradicere videtur.*

VI. Differens Auctor de suæ apolo-  
giæ summa inquiebat: „ Mihi tamen  
„integrum remanet, ut eandem hanc  
„quæstionem in omnibus Universitati-  
„bus cis, & ultra montes, imo etiam  
„trans mare sitis proponere valeam,  
„cum ad illius majus pondus, ac fru-  
„ctus exinde colligendos operæ pretium  
„sit. „ *Hic epilogus, testatur Facultas,*  
*declarat arrogantiam, & pertinaciam in*  
*suis perversis assertionibus.*

Sæcul. XVI. Denique eadem Facultas de hac  
A.C. 1554. Sabellati apologia sequens tulit judi-  
cium: illa continet assertiones captiosas, tem-  
erarias, subdolas, scandalosas, pernicioseas,  
utpote exercitationi scholasticæ adversas, &  
ab oratione vocali, atque pronuntiatione  
juxta ritum, & consuetudinem Ecclesiæ per-  
peram retrahentes, Schismaticas, Spiritui  
Sancto, & Ecclesiæ injuriosas, orthodoxis  
Patribus falso imponentes, impias, blasphemias,  
de industria obscuras, ac difficiles.

Eadem die decima tertia Januarii  
Facultas conventu Sorbonnæ habito  
hasce censuras ratas habuit: altera au-  
tem die re divina pro defunctis peracta  
apud S. Mathurinum deliberabat circa  
alias propositiones, jam discussas in quo-  
dam Conventu, quem die prima Augu-  
sti Anno millesimo quingentesimo quin-  
quagesimo tertio celebraverat, nunc ve-  
ro ex illis nonnisi unicam damnabat his  
conceptam verbis: *Animarum gratia*  
*mundus, qui nunquam est factus, ex nihilo*  
*est factus.*

*Hæc propositio, declarat facultas,*  
*est hæretica: intellige, mundum ab æterno fa-*  
*ctum esse ex nihilo.*

Die decima septima Aprilis Deputa-  
ti in eodem Collegio Sorbonnico con-  
gregati quosdam examinabant articulos,  
atque adesse jubebant quemdam primæ  
laureæ Doctorem nomine Guilielmum  
Brac-

Braccas, seu Chausse, eoquod in parva, *Sæcul. XVI.*  
ut vocant, *ordinaria* sub Lebello Doctore, *A.C. 1554.*  
ac Præside in Episcopi Parisiensis Au-  
la pridie quasdam propositiones enun-  
tiasset: itaque interrogatus de suis po-  
sitionibus, aliqua respondit digna repre-  
hensione, præterquam quod etiam pro-  
positiones in se continerent errores, cum  
tamen a præfato Magistro esset admo-  
nitus, ut emendaret illas, ei non pa-  
ruit: de hoc ergo negotio ita delibera-  
tum est. *Dicitus Baccalaureus primus si-  
gnabit, se submissurum particulariter in hoc  
negotio Facultati, & deinde maturius dis-  
cutietur de futura correctione.*

Paruit huic sententiæ Doctor, atque  
suæ subjectionis syngrapham proprio fir-  
mavit chirographo,

### §. LXXIII.

#### *Facultatis judicium de Privilegiis Fæsitarum.*

Die prima Septembris Facultas con-  
ventum habebat pro expediendis  
duobus aliis negotiis, quorum primum  
concernebat quædam privilegia a San-  
ctissimo Domino nostro Papa Paulo III.  
*Bullæ Fæsitarum, & Sanctissimo etiam*  
*Donino nostro Papa Julio III. concessa,*  
*in favorem quorundam, qui se nomine So-*  
*cietatis Fæsu insigniri cupiunt. Evidem*  
*scripta offerebantur hæc privilegia, qui-*  
*bus*

*Argentre  
l.c. tom. 2.  
p. 224.*